



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iosephina Lvcernensis

**Reiß, Jacob
Tschan, Jacob**

Constantiae, 1658

70. Maior sanctis Apostolis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9773

Baptistæ admonitos esse de periculo ab Herode imminente.

ELOGIVM LXX.

IOSEPH

Maior sanctis Apostolis.

SI IOSEPHVS Maior est Apostolis admirari nemo debet, Deum ne nomen quidem IOSEPHI permisisse inferi Apostolorum albo. Atqui maiore esse, contendit, Suarez in q. 29. Disp. 8. §. 1. Isolanus p. 4. c. 18. Carthag. l. 18. Hom. vlt. & l. 4. Hom. 8. Laudare igitur potius quis debet providentiam Dei, cuius nutu Barnabas Act. 4. primarium illud IOSEPHI nomē vltro deposuit, ascititiō Barnabæ contentus, itēque Act. 1. Ioseph, qui iustus & Barsabas cognominabatur, tametsi primo loco votisque omnium designaretur, ad Apostolicæ dignitatis apicem non potuit ascendere. Nempe satis esse Iosephis debet, habere vnum aliquem Cognominem ipsis Apostolis maiorem. At, vt vides, habet aliquem, hunc scilicet IOSEPHVM pro maiore agnitum à doctissimis viris.

Quorum rationes aut sunt, aut esse possunt.
 1. quia IOSEPH, Pater IESV à MARIA Coniuge Virgineâ, appellatus est, fuitque re ipsa decem Paternitatum modis, vt supra declaratum est. Atqui Apostoli tantum sunt Amici eius. 2. IOSEPH ministerium obiuit, proximè coniunctum
 O 2 cum

cum persona verbi. Fuit ergo primi ordinis. 3. Inter virum & vxorem debet esse proportio dignitatis. Atqui dignitas vxoris **MARIÆ** longè excedit dignitatem Apostolorum; Ergo etiam dignitas **IOSEPHI** est Apostolicâ maior. 4. **IOSEPH** vitæ genus secutus est aptissimum ad exercendas perfectissimè actiones quarumcunque virtutum ac præcipuè charitatis, correspondentes vtrique vitæ, tum actiuæ, tum contemplatiuæ; prout egregiè demonstrat cit. Suarez, facileque colligitur ex comparatione eorum, qui cum millesimam partem huiusmodi occasionum conversandi cum **IESV** & **MARIA** non haberent, evasere tamen ad supremum fastigium sanctitatis. 5. **IOSEPH** ex perfectissimâ cognitione & amore **IESV** iugiter operatus est. Fuit enim copiosissimè adiutus, septem donis Spiritus S. vt inductione ostendit Gratian. l. 3. c. 4. probâtque ex eò, quia ipse unus Magistros, Duces Spirituales, Testes, Adiutores, Dominos habuit **IESVM MARIAM**, & Angelos. Inde ergo comparavit sibi sapientiam, intellectum, consilium, scientiam, fortitudinem, mansuetudinem, & timorem omnibus majorem, solâ Virgine exceptâ. 6. **IOSEPHI** proprietates morales præstantiores sunt Apostolorum proprietatibus moralibus. Ergo & sanctitas eius quæ radix & quasi natura illarum est, est major sanctitate Apostolorum. Antecedens probô, quia ut Isolanus ait, cit. c. 18, Quatuor sunt proprietates Apostolicæ dignitatis: Annunciatio Evangelij; *Euntes prædicare Evangelium omni Creaturæ.*
Illum

Illuminatio; *Vos estis lux mundi*; Reconciliatio; *Quorum remiseritis peccata*; Et per Spiritum S. locutio; *Non enim vos estis qui loquimini*. Atqui proprietates IOSEPHI sunt; Desponsatio Reginae caelorum; Nominatio patris Regis Angelorum; Defensio Messiae promissi in lege; ac denique educatio Salvatoris omnium, suntque proprietates istae praestantiores illis, illae enim à Christo, sub Christo, & propter Christum; istae autem super Christum, ad Christum, & propter Christum. Quia tamen obijciuntur aliqua, adversum haec, Nota, IOSEPHVM spectare ad ordinem Unionis Hypostaticae. Apostolos autem ad ordinem gratiae gratum facientis. Atqui duo isti ordines inter se diversi sunt; estque uterque maximus; primus scilicet absolute; posterior respectu Ecclesiae, cuius primarii pastores Apostoli sunt. At est ordo prior verè prior, dicerèque possumus, quod est infimum supremi plus est quam supremum infimi. Est autem IOSEPH infimum supremi, sive hypostatici ordinis, ergo plus est quam supremum infimi, sive Apostolus quisunque. Tandem vero nequaquam difficile probatu est, etiam formaliter IOSEPHVM proprietates Apostolorum omnes statimque, & vocationis genus expressisse. Sed nunc ad alia calamus properat maiora dictis. Tu interim per te ipsum, quae dixi, etiam tacente me, siquidem velis, assequi poteris.



O 3

ELO-